



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 29. Joannis Palæologi cum Papa foedus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

fillus Avenionem delatus, Natalem Do-  
mini Nostri cum Papa Innocentio ibi ce-  
lebravit; & ob Sardiniae coronam clien-  
tis fidem ei spondit; sicut Benedi-  
cto XII fecerat.

Sæcul.XIV.  
A.C.1355.

## §. XXIX.

*Joannis Palæologi cum Papa fœdus.*

Imperator Joannes Palæologus hinc a  
Turcis, illinc a Matthæo Cantacuzeno  
adhuc Adrianopolim, & circumjecta huic  
loca tenente pressus, ut a Latinis subsi-  
dium impetraret, cum Paulo Archiepis-  
copo Smyrnenſi cœpit agere de reconci-  
liandis Ecclesiis: ac de consilio hujus  
Præſulis confecit, sigilloque aureo mu-  
nivit tabulas, quarum hæc erat summa:  
Per sancta Evangelia juro me observatu-  
rum omnia, quæ sequuntur. Ero fide-  
lis atque morigerus sancto Patri & Do-  
mino Innocentio VI Romanæ ac univer-  
ſalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, & suc-  
cessoribus ejus; Legatosque ac Nuncios  
ejusdem omni cum reverentia recipiam.  
Conabor pro viribus omnes mihi subje-  
ctos illi submittere: atque cum populi  
longam per consuetudinem indurati non  
facile flecti queant, convenit mihi cum  
Archiepiscopo Paulo, & Nicolao Sigero  
meo Megaheteriarcha (sic vocabatur Dux  
primus custodum corporis advenarum)

Rayn. 1355.  
n. 33.

n. 34.

Ducange  
gloss. lat.

ut

Sæcul. XIV. ut Papa ipsos remittat tribus cum triremibus; & postquam advenerint Constantinopolim, ego meum filium Despotam Manuelem Palæologum Archiepiscopo Smyrnenfi tradam secum vehendum aliqua triremium ad Papam: duas relinquat mihi; duas alias huc adducat; & omnes arbitrio meo permittat ad tuendam regionem.

Quando Papa meum filium in manibus habeat suis, quam poterit, celerrime ad me mittet quindecim naves cum equitibus quingentis, ac mille peditibus. Constantinopolim advecti contra Turcas Græcosque nobis inimicos nostris auspiciis semestri spatio militabunt. Interea Papæ Legatus beneficia & dignitates ecclesiasticas Græcis idoneis, qui sponte ad Ecclesiæ suam redibunt, conferet: prout ipse ac nos expedire videbimus. Si sex intra menses post adventum classis Græci cum Ecclesia Romana se non conjunxerint; de Legati consilio faciemus, ut omnino se subjiciant. Legato incolendum dabimus grande palatium, quod Papæ ac Nunciis ejus perpetuo reservetur. Dabimus illi etiam templum elegans, in quo ipse ac successores ejus rem divinam faciant. Filio natu maximo (Andronicus erat) dabo Magistrum Latinum, qui litteras & linguam Latinam ipsum doceat. Dabo tres domos amplas, ubi discipuli

disciplinæ Latinæ tradantur: & curabo, ut Sæcul. XIV.  
 filii Græcorum maxime spectabilium eas A.C. 1355.  
 frequentent scholas. Si non exequar  
 memorata omnia, jam nunc pro illo tem-  
 pore me judico indignum Imperio; &  
 jusejus omne transfero in meum, quem  
 dixi, filium; Papæ hunc do in adoptio-  
 nem, & patriam potestatem cedo, ita, ut  
 ei conjugem, Tutores, Curatoresque de-  
 ligere, ac illius nomine Imperium acqui-  
 rere & gubernare possit. Denique si mea  
 solvam promissa, volo esse vexillarius  
 Ecclesiæ, ac Princeps Ducum Christiani,  
 qui huc transferit, exercitus. Actum  
 Constantinopoli nostro in palatio Blaquer-  
 nensi 15 Decembris anno mundi 6864,  
 Christi 1355.

Duo Oratores Paulus Archiepiscopus Rayn. 1356.  
 Smyrnensis, & Nicolaus Sigerus Mega- n. 32.  
 heteriarcha, postquam in parva triremi  
 Avenionem attigerant, prope Dominæ  
 Nostræ templum insigne miraculis in ter-  
 ram exscenderunt intra octavam Pente-  
 costes, quæ inciderat in duodecimam  
 Junii. Ferebant litteras clausas, quarum  
 testimonio fides plenior ipsis & tabulis  
 patentibus, quas modo retuli, haberetur.  
 Papa 21 Julii respondebat fusam per epi-  
 stolam, in qua de gaudio concepto e spe  
 reconciliandi Ecclesias multa faciens ver-  
 ba, excurrit in laudes Imperatoris Joan-  
 nis; & ad constantiam animato com-  
 mendat

n. 33. 34.

Sæcul. XIV.  
A.C. 1356.  
mendat duos Nuncios una missos, videlicet Petrum Thomam Pactarum in Sicilia, & Guilielmum Sissopolis, seu Sizonis in Caria Episcopos.

*Cornanville.*  
p. 237.  
Imperator Joannes fororis suæ conjugio, & insulæ Lesbi principatu honoraverat optime de se meritum Franciscum Cataluzium Nobilem Genuensem. Huic etiam scripsit Papa, sicut Patriarchæ Calisto; quanquam nullas ab eo litteras nactus; multisque insuper Imperii Græci Proceribus, Hugoni Regi Cyprio, Joanni Gradenico Duci Veneto, Magistro Equitum Rhodiorum, ac Genuensibus. Sed copias & naves, de quibus convenerat, mittere haud poterat. Itaque pactum effectu caruit.

## §. XXX.

*Initia S. Petri Thomæ Carmelitæ.*

**P**etrus Thomas Pactensis Episcopus in Petrocoricensi agro, & Sarlatina diocesi ortus patrem habuit quendam villicum tam inopem, ut duobus liberis suis, huic filio & filiæ alendis impar esset. Petrus in propinquo pago victum precario conquirens haud omittebat frequentare scholas, & in litteris ita proficiebat, ut brevi pueros erudiret. Aginnium postea venit: ubi multos per annos Grammaticæ

*Vita c. r. ap.*  
*Boll. 19.*  
*Jan. to. 1.*  
p. 995.